

F. B. A.  
13.

DISPUTATIO MEDICA  
HYDROPHOBIA,  
Seu  
RABIE CONTAGIOSA,

*Quam*  
IN UNIVERSITATE JENENSI;

SUB PRÆSIDIO  
VIRI

Amplissimi, Excellentissimi, Experientissimi,

Dn. PAULI MAR-QUARTI  
SLEGELII, Phil. & Med. Do-  
ctoris Celeberrimi, Anatomix, Chirurgiæ & Bota-  
nices P.P. Eminentissimi, Dn. Præceptoris, Mæcenatis ac  
Patroni sui omni observantiâ co-  
lendissimi,

*Publicâ Placidæg, Disquisitioni submittit*

JOHANNES AUGUSTUS WINDDORFFE-  
RUS, DRÆSENHOFA-MORAVUS.

*Ad diem 11 Martii*  
IN AUDITORIO MEDICORUM  
Horis consuetis promeridianis.

---


JENÆ  
Typis Steinmannianis.  
Pathol. spec.

ANNO REDEMPTIONIS  
M DC XL.

177, 62

Mosbach 1643





**H**YDROPHOBIA seu RABIES CONTAGIOSA Affectus est atrocissimus & deploratissimus. Hoc enim miserrimum morbi genus, (ut à Celso Medicore & nomine celso indigitatur) homines insensibiliter invadit, nonnunquam diutissimè in corpore delitescit, altas radices figens hominem miserabiliter torquet atque excruciat, usquequò tandem magnâ cum siti, maximâ tamen liquidorum omnium aversatione, cymbam Charontis intrare cogatur.

DENOMINATUR Rabies, quasi rapiens à rapiendo, quod rabiosi vehementiori & insolentiori veluti irâ accensi alios notos & ignotos rapiant, illisque morsum infligentes venenum communicent, ut & ipsi rabiosi similisque naturæ evadant. Antiquis Rapia & Ravia dicta fuit. Grajis est λύσα vel λύτη, ἀπὸ τῆς λύσις à solutione, quod eā detenti à recta humanitate solvantur. οὐδέοφοβία ἀπὸ δὲ φόβου τοῦ θεραπεύοντος, quod aquam abhorreant. German. das Wüs sen/Unsinnigkeit/ Wasserschewen.

HOMONYMIA. Neque verò nostri jam instituti est agere de rabie, prout denotat indomitam & insatiabilem concupiscentiam edendi, ut apud Juvenal.

rabidum facturus orexin.,  
neque quā pro amore & furoribus rabidis sumitūr, ut apud Nemesianum Ecl. 2.

Interea tanquam nostri solamen amoris  
Hoc foret, aut possit rabidos medicare furores.  
neque etiam, ut ea usurpatur pro mania sive perturbatione facultatis ratiocinatricis, vel ab irâ vel aliundè pronotâ. Sed quatenus exprimit affectionem in homine, à mortu canis vel alius animalis rabidi excitatam.

DEFINITUR Morbus venenatus, à peculiari quodam veneno ab animali homini communicato, aliquando

A 2 in

in ipso homine genito, proveniens, præsente aquæ & liqui-  
dorum omnium abominatione, sæpe cum delirio.

**G E N U S:** Esse morbum venenatum testatur *Gal. lib. n.  
de medic. simpl. facult. Præceptorum suum Penelopem taxans*,  
quod morbi hujus rationem ex manifestis causis se redditu-  
rum ambitiosus jactaret. Demonstrant hoc & symptomata,  
quæ non à qualitatibus primis, aut ob continui solutionem  
tanta esse possunt; idemque evincit maxima vis & potentia  
agendi, levissima enim morsuncula, (ut *Baldus JCTus mor-  
te suâ attestatur*) vel solum modò contactus hujus veneni  
hominem interficere potest.

**S U B J E C T U M** adæquatum & minus principale est to-  
rum corpus; siquidem extra controversiam esse credimus,  
totam massam sanguineâ tractu temporis sensim infici, prima-  
rium est cerebrum, & fauces: his enim venenum pernitosius  
insultat, ut manifestum reddunt delirium, aquæ pavor, diffi-  
cultas respirandi, deglutiendi.

**C A U S A** est venenum peculiare ab animali homini  
communicatum, vel in ipso homine genitum, quod humoris  
bus permistum, hæc symptomata peculiari ratione produ-  
cit. Nam etiam si *Gal. lib. 2. prorhet. com. 17.* ex veterum sen-  
tentia dicat morbum hunc provenire ab intemperie calidâ  
& sicca hominis partes occupante, cum tamen rabiosi non  
videantur mutari à proprio habitu & genuino suo tempera-  
mento, ab illorum partibus stare non possumus, neque enim  
in mole corporis, neque in colore, neq; in facultatibus, aut  
ullis sensibilibus accidentibus mutationem rabidi subeunt.

**C A U S A E P R O C A T A R C T I C A E** locum obtinet rabies  
animalis vel canis, siquidem hic singularem propensionem  
& proprietatem ad hoc malum nascendum habet, & vel  
ex assumptione paoris vel cibi corrupti, v. g. animalis fulmi-  
ne tacti vel peste mortui, nec non per tempestates calidissi-  
mas, vel etiam frigidissimas peculiare hoc venenum in se  
recipit.

**C O M M U N I C A T U R** autem per **C O N T A C T U M**, sive  
dentis sive sputi vel etiam halitus animalis rabidi. Ex esu  
carnium suis à rabido cane demorsæ, ab hospite aliquo con-  
vivis

vivis appositarum, ipsos omnes rabiem contraxisse, testis est **Baubinus**. Non minus à cibo vel potu quem homo rabidus vel à cane rabido commorsus gustárit, venenum hoc propagari potest. Nønnuli ab exhalationibus urinæ animalis rabidi, hominem infici posse afferunt. Refert etiam **Zacutus Lusitanus** lib. 3. Observ. 82. rabiem communicatam per gladium, cùm generosus quidam gladio canem rabidum circumfodens, post octo annos, irâ percitus tres eo gladio graviter læderet, vulnera quidem sanata fuisse, verùm post tres annos in rabiem agitatos mortem oppetiisse.

An autem citra communicationem à principiis internis venenum hoc in homine generari possit, dubitatur, cùm & Antiqui scriptores memoriae mandarint, rabiem homini semper ex contagio non sponte advenisse. EXPERIENTIAS tamen illud confirmare videmus, Virorum non suspectæ fidei, **Marcelli Donati**, **Petri Salii** diversi, imprimis autem felicissimi **Plateri**, qui Observat, suarum lib. 1. elegantissimam & notatu dignissimam annotavit Historiam de Sutoris cuiusdam uxore, quæ circa annum 1593. sub concamerato opere in rivulo urbem interluente corium lavans, nocte instantे à vicinis deserta atque relictā, solitudine perterrita domum rediit, ab eoque tempore neque aquam neq; vinum nec jusculum, nec aliud quicquam liquidum deglutire potuit, sed confessim hisce oblatis magisque ori inditis, suffocandæ similis, spiritum cum vociferatione interclusum quasi traxerat, subjungit etiam, fœminam hanc ex solo contactu atque conspectu liquidorum idem accidens passam esse, neque cessasse symptomata hoc, nisi liquidis è conspectu ablatis; & quod maximè mirari licet, aerem nonnihil agitatum vel auram lenem sentientem idem perpessam fuisse, quæ octavo à prima invasione die debitum naturæ solvebat. Narrat non minus **Soranus** se vidisse infantem, ubera matris expavescentem, sine ullo præcedente contagio. Haudquam deficiet nobis AUTHORITAS Cælii Aureliani, dicentis & docentis, certò fieri nonnunquam in homine rabiem absq; externâ manifestâ causa.

SIGNA DIAGNOSTICA. Ad venenum hoc cognoscendum antequam symptomata inferat, multum faciunt signa, quibus canis rabidus deprehendi potest. Graciles sunt canes rabidi ob cibi & potus aversationem, oculis prominentibus rubent, tristes, auribus caudaque demissis, stupido capite incedunt, saepè oxyus & velocius currunt, ex improviso consistunt, nonnunquam in medio cursu in obstacula & impedimenta impingunt, obvium quemque notum sive ignotum sine latratu invadunt, vocem aut nullam aut paucam & raucam edunt, spuma ex ore & naribus defluit, lingua exerta nigra, vel crocea & quasi bile colorata cernitur: reliqui canes ejus sodalitio non gaudent: si hujusmodi canis mortu vulnus inflixerit, subito inquirenda sunt remedia. Quod si canis conditiones non fuerint cognitæ, veneni præsentiam hoc pacto expiscari & investigare licebit. Imponitur vulneri cataplasmatis instar, vel mica panis masticata, vel triticum contusum, vel nuces juglandes contritæ pro quantitate vulneris, si magnum, per aliquot horas, si parvum, per diem relinquatur, postmodum gallinis vel pullis gallinaceis comedenda projiciuntur, quod si mortui virus insit, gallinæ emoriuntur, si minus sine noxa evadunt; Experimenti hujus autor putatur *Oribasius*, referente *Paulo*.

Rarissimè venenam hoc antè vigesimum diem, frequentissimè quadragesimo post communicationem demorsus percipit: neque enim statim & definito post mortuum tempore hydrophobia exoritur, verum post sextum, duodecimum, decimum octavum annum demorsos in rabiem actos fuisse, literis produnt complures authores, quos inter non ultimas tenet *Grainerius de ven. c. 12.* Et Alzaharvius testatur, se expertum venenum hoc per quadraginta annos in corporibus deluisse, referente hoc *C. Sennerto lib. 1. Pract. part. 2. c. 15.*

Ratio verò diversitatis, quod nimicum actio hujus veneni vel tardius vel citius absolvitur, consistit vel ex violencia seu imbecillitate agentis; vel à fortitudine seu debilitate patientis. In illis etiam, in quibus hujus veneni vis in-

mul-

multos prorogatur annos, diæta plurimum efficere potest, si enim utatur cœpis, porro, allis, alijsque venenum hebetantibus, venenum sensim radices agit, atque in multos protractatur annos, usque dum sese exerat hominemque interimat.

**SIGNA FIENTIS RABIEI.** Adest anxietas, mœror, ira sine causa, vellicatio stomachi, pigritia & segnities ad actiones edendas, vigilæ, querela de tempestate & aere turbido, cum tamen fuerit sudum cœlum serenaque quies, somni turbati, variæque phantasie & cogitationes mentisq; alienationes. Certissimum unicum & infallibile signum addit Petrus Salinus de aff. part. dolorem quippe in loco jam commorsò, licet ulcus antehac per dies & menses integrè fuerit sanatum, qui intensus esse non solet, nisi morsus in parte nervosâ factus sit, dolor hic sensim ad cerebrum ascendens, vertiginem & perturbationem cum vacillatione causat, quam proximè insequi solet rabies.

**FACTÆ ET CONSUMMATAE SIGNA** sunt distensio membrorum, rubor faciei, sputū spumosum, oculi torvè objecta intuentes, crebra jugisque oscitatio, aspectus truculentus & horribilis, nonnulli in adstantes expuunt, alii canum more latrant atque obvios sine discrimine attripiunt morsumque infligunt citra rationem. Præcipuum autem & pathognomicum factæ & confirmatae, rabiei signum est, quod ægri manifestissimè aquam & omnia liquida aversentur & adversentur, ipsisque sive assumptis, sive oblatis maximè laedantur.

**PROGNOSIS.** Miserrimum & pernitiosissimum hoc morbi genus dum jam inveteratum, insanabile est & capitale, adeò ut in quibus signa factæ rabiei imprimis autem aquæ maximus pavor appareant, præter unum & alterum non liberatos demonstrant historiæ: sic Themisonem Medicum & alium ab Eudemo curatum evassisse atque supervixisse, ceu mirum mirorum recenset Dioscorides, illos autem non à rabido cane morsos, sed ab homine quodam morsorabiente & aquas jam expavescente vitium fuisse adeptos,

sic.

ait. Quod si verò recentis Hydrophobia pernicie inquinatis, statim in principio certis præsidiis & Alexipharmacis succuratur, si vulnus non sit nimium profundum atque sine nervi arteriæ vel venæ vulneratione, magna revalescentiæ spes concipitur, & sœpissimè ab hac fiente contagione vindicari possunt.

INDICATIONES. Homo statim post acceptum venenum, ne in rabiem seu hydrophobiam incidat præservandus est, viaque veneno, ne profundiùs ad interiora serpat, intercludenda & intercipienda, reliquum cum sua contagiosa malignitate alterandum evacuandumque, non neglectâ viscerum principalium imprimis cordis & cerebri corroborazione, ne virus excipient, sed tutò & citò à se propulsent.

CURATIO desumitur ex usitatis tribus Fontibus.

I. CHIRURGICO, ex quo plurima petuntur præsidia maximè necessaria.

VENÆSECTIO licet à plurimis Authoribus non admittatur, magnum commodum eam præstaturam existimamus, si æger sit plethoricus, viribus integris, valdeq; timuerit, timor enim sanguinem ad cor retrahit, venæsectio autem revocat ad ambitum.

SCARIFICATIO vulneris maximè erit proficua, hoc enim modo, copioso sanguine vacuato, cavebitur, ne virus intrò se inferat atq; intrudat. Si vulnus non sit satis amplum & suspicio concepta sit de veneno sanguini jam communicato, Utilissimum etiam erit CUCURBITULAM maximâ cum flammâ vulneri applicare, cum totus curationis cardo in principio, circa veneni extractiō nem versetur. Eadem intentione HIRUDINES comodissimè apponuntur, quæ promptè sanguinem infectum exhauiūt. Vel etiam SUCTIONIS beneficium præstant, gallinarum, columbarum, passerum, aliarumve avium vivarum podices admoti. Nec non juxta Celsi consiliū alterius hominis ORE Suctio instituenda, qui jubet, ut homo nō jejonus, ore vino prius collato, exiguum olei in ore continēs, venenum exugat: hac

hæc tamen cautelâ, ne exulceratam habeat ullam oris partem; licet priorem suctionis modum per animalia institutum, tutorem existimemus.

### CAUTERIA vel Actualia, vel Potentialia.

ACTUALIA. Si locus non sit nervosus aut musculosus, tuto & maximo cum fructu, inuritur.

POTENTIALIA sunt VESICANTIA & CAUSTICA, ex cantharidibus, radice pyrethri, allio, nasturtio, sinapi, nitro, sale, (quod peculiare & optimum remedium in hoc affectu afferit Celsus,) cum fermento, melle vel aceto composita. Aq. Aluminis, Aquæ Fortes, Oleum sulphuris vel vitrioli, simus equinus vel caprarum montanarum, &c. Notandum tamen, Scarificationes & caustica non nisi in principio, sive primâ septimanâ conducere, alias enim cum venenum interiora occupat, frustra hæc tentantur, ægrique in cassum excruciantur, cum hoc modo virus non evacueretur, sed alia quærenda sint remedia, ex fonte.

II. PHARMACEUTICO. In quo occurunt vel Interna, vel Externa. INTERNA. PURGANTIA. Si mortuum venenum communicatum fuerit partibus externis, non opus est, mox ab initio purgantibus uti, si verò per os attritum seu immissum sit, in principio erunt convenientia. Plurimum autem in hoc affectu commendantur helleborus albus vel niger. Hiera Diacolocyniid. pilulæ cochiæ, fœtidæ, ex Antimonio. Mitiora: sena, polypod. myrobal. nigri, Aganicus, quem simul Alexiterias vires obtinere depraedantur. VOMITORIA. Si ventriculus abundet pituitosis & pravis humoribus, apparentibus instantis rabiei signis, ex elleboro albo paratur nobilissimum vomitorium: hoc modo: Colliguntur radices ellebori albi nostratis, non exterorum, quod validius, purgantur à terra & omni superfluo, assumuntur acetum optimum album, in quo radices coquuntur, quod ubi parum ebullierit, rejicitur, novumque reaffunditur, iterumque decoquuntur, quæ si coctione molles factæ fuerint, decantantur, super pannum in tabula extenduntur, atque in umbra siccantur; siccatae in pulverem crassiuscu-

B              lum

Ium comminuatur, cuius Drach. i. aut aliquid minus exhibetur, interpositisque paucis diebus repetitur. Si morbus non superetur spes in angusto, nam maximum juvamen & levamen afferre solet. Cavendum tamen & prospicendum, ne vomitoria adhibeamus illis, qui corpora habent debilia, timida, enervata, thoracem angustum, organa deglutitioni & respirationi destinata, læsa.

**D I U R E T I C A** cacochymicis præcipue usum conferunt, & antidotis ut plurimum miscentur: ut: asarum, scoridum, valeriana. Singularissime autem Spir. Salis.

**D I A P H O R E T I C A.** Aquæ Theriacales, Aq. Chamoillæ, Cardui benedicti, Ro de Ebulo & Sambuco. Succus Urticæ. Nobilissimum autem in hoc affectu est mistura simplex, Drach. i. pondere propinata.

Venenum hoc vincunt maximè **A L E X I P H A R M A C A.** Theriaca Eupatoria & Mithridatia. Lapis Bezoar. Unicorn. CC. Terra sigillata. Bolus Armenus. Hisce omnibus potentior habetur, & à chymicis commendatur, Sal serpentis, vel Oleum Martis, ad gutt. X. cum aquâ theriacali, vel si adsit febris, cum succo limonum exhibitum.

**E X T E R N A** etiam sua virtute non carent, inter quæ referri possunt, ea quæ veneni transitum, in partibus, ubi ligatura administrari nequit, impediunt: & sunt constrictiva, ut Balaustia, Bolus Armenus, Sangvis Draconis, aliaquæ plura, sic cum ovi albumine, locis vulneri proximioribus, imponantur. Virulentam materiam extrahunt acria, attrahentia superius sub cauteriis potentialibus denominata, quibus addimus Spir. Salis tanquam maximum in hoc affectu alexipharmacum, si vulnus in principio eo lavetur. Eadem ratione alii confugiunt ad **B A L N E U M** aquæ marinæ. Extrahunt quoque venenum **E M P L A S T R A** ex cerâ, pice nigrâ, opoponace, galbano, axungiâ vervecinâ, bdellio, cum oleo vel melle parata, item quæ sunt ex mithridatio, pulvere gentianæ & aliis. Quæ omnia remedia in principio adhibenda, alias cum virus ad interiora pervenerit, generosa medicamenta expectationi non satisfacient.

SPE.

SPECIFICA & singulari proprietate hydrophobiam debellare creduntur Gentiana, pimpinella, aristolochia, melissa, betonica. Cynorrhodi radix cum lacte, cuius decocto multos ab hoc calamitosissimo morbo liberatos, oraculo id patefaciente, testatur sancte Plinius. Alyssum, quod nomen inde hausit, quod qui ea ex aceto potarint, vel alligant, rabiem non senserint. Cancri fluviatiles, qui in circumferentem rediguntur à Dioscoride, ejus cineris partes duæ, pulveris radicis gentianæ pars una, invicem miscentur, exhibentur duo cochlearia ex vino, per triduum, si post duos vel tres dies inceperit, duplicatur vel etiam triplicatur pondus.

GALenus verò Ægrotorum ANGELUS per 40 dies, singulis diebus, cum aqua convenienti, unū cochleare propinat: Accipit cineris cancrorum partes decem, gentianæ quinque, thuris partem unam, & si inceperit, post multos dies duplicato pondere. Hepar Mergi assatum, cum paucō oleo & sale commestum probat Actius. Hippocampus marinum assatum, comedendum præbuit filiolis, à canicula ræbida commorsis, piscator quidam: eundem cum aceto contritum, cataplasmatis instar maximo cum successu imposuit, referente Eliano c. 20. l. 9. Catuli recens nati coagulum ex aquâ potum, ut & sanguinis canini potus si Galeno, Serapioni & aliis fides tribuenda. Chamæmelum aquæ inspersum. Bitumen Judaicum, Scr. I. pondere cum aquæ cyathis tribus haustum. Lucii piscis cuticula capitii adnata commendatur à Paracelso lib. I. de pestilitate. Sunt qui canis rabidi pilos vel carnem, aut sal ex carne, Chymicâ arte extractum vulneri, ut specificum imponunt. Hodiè in Europâ celebre est Palmarii Medicamentum, à Practicis hinc & inde descriptum, quod ob summam nobilitatem apponere placet.

Rec. Fol. rut.

verben.

salviæ.

plantag.

B 2

Po-

polypod.  
absinth. vulg.  
menth.  
artemis.  
mehlsophyll.  
betonic.  
hyperic.

centaur. minor. an. pondus æquale.

Colliguntur singula eo tempore, quo viribus magis vegeta sunt: dein inclusa chartis siccantur in umbra vel loco quem neque sol neque pluvia pertingere potest, ne vel nimium exarescant, vel sicum contrahant. Redacta in pulverem, exhibentur à Drach. j. ad Drach. iij. singulis diebus, cum saccharo vel juseculo, jejuno stomacho, tribus ante pastum horis. Si notabile tempus à morsu inflictio præterierit, assumentur Drach. iiij. Extra: vulnus spongia vel siccis linteolis mundatum & siccatum, cum vino aut hydromelite, in quo hujus pulveris Drach. f. soluta sit, bis vel ter quotidie sovetur.

Huc referimus proprium & singulare ad hunc morbum remedium à Cornelio Celso literis proditum lib. 5. suæ medic. Projicit ægrum neque præscientem, neque prævidentem, in piscinam, atque si natandi peritia destitutus sic, modò immersum bibere concedit, modò attollit; Si vero natandi scientia polleat, eum interdum deprimit, ut invitus quoque aquâ satietur, sicque cùm sitim tûm & aquæ metum tolli confirmat. Cautionem tamen adjungit: ne æ gri corpus frigida vexatum, nervorum distensio absumat, ipsum à piscinâ exemplo in calidum oleum demittendum svader. Hoc ex Recentioribus quidam usi fuere, non tamen semper prospero eventu & testantur Baptista Cadronchius l. r. de hydrophobia c. 5. divitem quendam, ex ditione Bononiensi hoc affectu tentatum bisterve in aquâ demersum septimo die interisse.

AMULET A Dens caninus à cane, qui momordit avulsus, brachio alligatus. Corium Phocæ, Ursæ.

III.

456.

III. DIETETICO. Aer eligendus est temperatus,  
si à temperato recedit, præstat ipsum declinare ad caliditatem & siccitatem, quam ad frigiditatem & humiditatem: Nisi verò per se talis, suffumigiis ex corticibus citri, arantiorum, succino, thure, styrace, &c. corrigendus & alterandus est.

CIBUS nec plenus nec tenuis, ex corrigentibus constet, sit εὐχυμὸς καὶ εὐπεπτός. Ex carne arietinâ, quæ proprietate juvare, & prodesse dicitur, aves montanæ, cancri. Cibi aromatizentur, nisi febris adsit. Conferunt extremitates animalium. Frui etiam licet nucibus juglandibus, Caricis, Castaneis, amygdalis, allio, raphano, brassica, porro, cichorio.

POTUS. Si liquida non abhorreant, vinum meracum, album non valde vetus. Contrà si abominentur liquida, convenient schistum seu lac coagulatum. Gelatina, cuius artificiosam palatoque gratissimam præparationem expónit Steegius.

VITANDÆ sunt Umbræ Cornorum, sorborum, contactus virgarum harum ipsarum arborum, virgarum sanguinearum, fraxini.

Præterea, qui convaluerunt, singulis annis tempore morsus revoluto, purgationem non negligant, dieque instanti Theriacam assumant.

ANIMI PΑΘΗΜΑΤΑ. Vigeat hilaritas: Exulet Ira, TERROR & tristitia.

## MANTISSÆ.

Qui Hydrophobiam ad Anginæ speciem Cynanche dictam referret, ipse à veritatis via non multum aberraret.

B 3 Ada-

Adamus in pulv̄erem redactus nihil malignitatis possidet.

Ungula Alcis manifesta qualitate Epilepticis prodest.

Renes non sunt generationis organa.

Lac non generatur ex sanguine.

Arsenicum salutare pesti amuletum.

Cantharides specifica potentia vesicæ contrariæ non sunt.

Corpora cibo refecta sunt graviora jejunis.

---

**H**Ydrophoba mali quid sit, quam enomeque monstrum,

qui doceant, raris discutiendo patet.

**Tu WINDDORFERE**, aggrederis felicibus auris, monstrum hoc, ut dextra nil metuente cadat.

Hoc precor, ut vindex vocitere celebris Hygeæ, cœptisque adspiret fors animosa tuis.

**WINDDORFERO**  
*felicem in studiis medicis, quæ curæ cordig habet sedulus, progressum apprecatur*

**Gvernerus Rölfink, Hamburgensis, Phil. & Medic. Doctor, Professor Practicus & Chymicus, Decanus.**

Mil-

**M**ille pericla manent, morborumque agmina  
mille

mortales: aer, terra, salumque nocent:  
Bestia nulla ferè, quin sani corporis obstat  
viribus: & canis est quæ rabiosa necet.  
**T**u media ostendis, quibus indupedire Charontis  
vela queas. Famæ sic bona vela volant.

Paulus Marquartius  
Slegel, Præ-  
ses.

**N**aturæ sequeris genium propensaque men-  
tis

Fata, calet studiis dum Medicina tuis:  
Grandia Pergamei dum volvis scripta Galeni,  
Et discis Coi dogmata dia Senis:  
Idque agis, in Medicum quidquid pia terra dat  
usum,

Mareque, quam digitos, tam benè nosse queas.  
Morborum quondam hinc examina mille fugabis,  
Et pestis felix ars tua pestis erit.

*Amico & Convictori  
per dilecto*

f.

Daniel Stahlius,  
P.P.

Dira

**D**ira quibus vinci queat hydrophobia medelis,  
tradere, non levis est vile laboris opus.  
**N**on terrere tamen magni gravitate laboris;  
sed sudore Tibi sternis ad alta viam.  
**A**lta petis: patet alta Tibi via Honoris ad arcem,  
quam Medici pandunt & Medicina Tibi.

*Amico per dilecto lmgj. f.*

**Johannes Michaēl Dilherrus,**  
**P. P.**

**F I N I S.**